



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

Cohærent cum præcedentibus. Alij Iudaicas fabulas & hominum traditiones, suaq; somnia docent, in sui & aliorum perditionem: tu doce sanam doctrinã, de qua supra sæpe diximus. Hic uero uides sanam doctrinã Christi esse accõmodam omni sexui, ætati, conditioni: quando uerè sana & integra est: hoc est, quando tractatur à spiritali homine, qui potens sit in uerbo, & humanæ doctrinæ diuinis non permiscetur. Si ista quæ hic iubet doceri Paulus, in nostris hominibus uideremus, certe faciẽ uideremus ecclesie in gloriã Euangelij sancti. Nunc uero nusquã doctrina est, ergo & nusquã integritas uitæ: sed qualis populus talis, & episcopus. Christi ecclesia non est, quæ uerbo Christi non regitur, iudicia nostra, non dei sequimur, ideo iuste peribimus. Quæ huc pertinet, etiam alibi sæpe uides in Paulo. Ecce isti loquuntur iustitias pharisaicas & traditiones hominũ: tu uero quæ sanam doctrinam decebunt, loquere,

Sani fide

Sunt, qui fidem illam in deum per Christum, superstitionibus, doctrinis, & traditionibus hominum in cordibus suis non permiscunt, non cedentes alienis doctrinis. Senibus uero hoc præcipitur, non solum quia natura sunt superstitiosi, sed etiam ut ipsi reliquos sanitatem fidei doceant.

Sani in charitate.

Sunt qui etiam diligunt inimicos, & orāt pro persequentibus.

Sani in patientia.

Sunt qui perdurāt in omni tentatione usq; in finem nullis cedentes aduersis.

Vt honesta doceant.

Vide hic mulierem docere, sed adolescentulas mulieres. Vtrum mulieri docere liceat, alibi dixi.

Modestas reddere.

Quia tūc fiebat sepe, ut Ethnicus uir haberet Christianam mulierem, quæ casta sua conuersatione uirum quoq; alliceret ad Christi uerbum.

Vt sobrii sint.

Apud nos crapula & ebrietate percunt, non solum animis, sed etiam corporibus. Crapula & ebrietate nostra corda grauari, ut non uigilemus ad diem illum Christi, & apparitionem gloriæ magni dei, testatur dominus in Luca: Attēdite ne corda, &c. Vide ad quæ mala perducant, quæ nos interim paruifacimus.

Temetipsum præbe formam.

Primæ Petri 5. Forma facti gregis in populo, &c.

**In doctrina integritatem
& honestatem.**

ANNOT. IOANNIS POMERANI.

Sic ista coniungenda sunt, & subaudiendū uerbum, exhibe, uel serua, uel simile: & additur, sermonem sanum, id est, integrum, sicut supra doctrinam sanam dixit. Irreprehensibilem, id est quem nemo potest conuincere, ne ex scriptura quidē. Item contra quem nemo possit obijcere, quod non sic uiuas, ut doces. Itaq; hic duo postrema, duo præcedētia exponūtur. Quod enim dixit, in doctrina integritatem: idem dicit, sermonem sanum: & quod dixit grauitatē uel honestatem, idem dicit sermonem irreprehensibilem: ne quis hic intelligat illam hypocriticam grauitatis speciem, quæ se tantum uendit hominibus.

Rubore suffundatur.

Sic, 1. Petri 2. & 3. capitibus.

Apparuit.

Quæ huc pertinent, uide in postilla D. Martini, in nocte natiuitatis Christi.

Omnibus hominibus.

Id est, & Iudæis et Gentibus. Itē masculis & fœminis, adolescentibus & senibus, dominis & seruis, de quibus dixerat. Ideo oportet omnes erudiri, ut omnes deo digne uiuāt: sicut sequitur, ut abnegata, &c. id est ut mortificatis omnibus, [quæ ad Adā pertinent, uiuamus noua et spiritali uita secundū Christū, & hoc in præsentī seculo, non respicientes ea, quæ iam nobis perreūt, & mortificātur in hac uia, sed expectātes illa
quæ

que nō uidetur, que speramus futura in aduētū domi-
ni Sed hic ais: quomodo possum abnegare me, ut digne
deo uiuam, ut bonis operibus abundem, ut omnia ista
impleā, cum non sint hęc in hominis potestate? Recte
tu in Christo ergo inuenis, quod in te non habes, mo-
dō ipsum habes per fidem: id quod Paulus hic sic occu-
pat: Qui dedit semetipsum, &c.

Nemo te despiciat.

Id est, sic uiue & doce, ut te nemo iure contemnere
possit. Ne quis hic intelligat cōtra euangelium exem-
plo uindicandum esse qui ipsum contemnat.

CAPVT III.

Pincipibus, potestatibus, & magistratibus pa-
rendum est in omnibus quę non sunt contra de-
um: id est, in quibus tu nō peccas contra sanā cōscien-
tiam, quamuis maxime illi peccent exigendo quę adā.
Sicut Hieremias uoluit, ut se subderent sponte regi
Chaldæorū Iudæi. Placet enim nōnunquā deo per ta-
lia nostra punire peccata. Et quando grauē tyrannis-
dem patienter ferimus, melius habemus, deo ubiq; no-
bis presente, sicut ueterum exempla docent. Sic sine
peccato Christiani obediūt Thurcis. Principes boni,
si alicubi sunt, duplici honore digni sunt: mali uero si
sunt, tamen eis parendum est, nisi contra deum pre-
cipiant. Hic dicendum: Oportet magis obedire deo,